

GELASIVS II. ET CALLISTVS II.  
GELASIVS II. PONTIF. CLXIII.  
ANNO DOMINI MCVIII.



**G**elasius II. Joannes Caetanus antea vocatus, Monachus Cassin. Creatus Romae 8. Kalen. Februarii: consecratus, & coronatus Kalendis Martii. Vixit annum unum, & dies quinque. Creavit Cardinalem unum. Obiit Cluniaci, anno Domini 1119. quarto Kalen. Februarii. Vacavit Sedes biduo.

CALLISTVS SECUNDVS PONT. CLXIV.  
ANNO DOMINI MCVIX.



**C**allistus II. Gallus, Guido antea vocatus, Guilelmi Burgundiae Comitis filius, Archiepiscopus Viennensis. Creatus die 1. Feb. 1119. in Monasterio Cluniac. in Galliis: consecratus, & coronatus pridie Idus Octobris eodem anno. Sedit annos quinque, menses decem, dies 13. Creavit Cardinales 25. Obiit Romae in Patriarchio Lateranensi, Anno Domini 1124. Idibus Decembris. Corpus ejus in Basilica Constantiniana sepultum. Vacavit Sedes diem 7.

Gregorius VIII. Antipapa Anno Domini 1118.

Reconciliatio Henrici V. Imperatoris, cum Sancta,  
& Catholica Ecclesia Romana.

**C**ALLISTVS EPISCOPVS, SERVVS  
Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Henrico gloriose Romanorum Imperatori Augusto, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Edita An. D.  
1122.

**O**mnipotenti Domino Deo nostro auctori omnium bonorum laudes, & gratias agimus, qui per immensam bonitatis suae clementiam, & cor tuum aspersione sui spiritus illustravit, & te jam dudum nimium reluctantem, nunc tandem ad Ecclesiae gremium revocavit. Siquidem prout dilecti filii nostri, & Diaconi Cardinalis, & fidelium nuntiorum tuorum relatione, ac litterarum lectione percepimus, sano usus consilio, nostris, & Ecclesiae Catholicae salutaribus modis humiliter obedisti: & nos ergo in Beati Petri filium paternae affectionis brachiis te suscipimus, & personam tuam, & Imperium tanto deinceps amplius, & benignius colligere, ac divina praesente gratia honorare optamus, quanto devotius praeter tuis modernis praedecessoribus Romanae Ecclesiae obedisti, & quanto specialius carnis tuae nobis consanguinitate conjunctus. Age ergo fili charissime, ut & tu nobis, & nos te fruamur in Domino. Perpendat Imperialis excellentia tua, quantum diuturnae Ecclesiae, Imperiique discordia, Europae fidelibus intulit detrimentum, & quantum nostra pax afferre poterit boni fructus, Domino cooperante, incrementum. Sane de statu nostro noverit tua dilectio, quia licet nos graviter quandoque infirmi fuerimus, nunc tamen per Dei gratiam incolumes sumus, & tuam tam animam quam corporis sanitatem per omnia desideramus. Quis autem quae viva voce referenda praedictis fidelibus, & Nunciis commisisti, per eosdem quid nobis, & nostris videatur fratribus, respondemus. Legatos itaque nostros qui apud vos sunt, benevolentiae vestrae attentius committentes rogamus, ut quia Concilium indictum a nobis accelerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos vero Legatos ita instructos dirige, ut juxta promissum tuum regalia in integrum Ecclesiae Romanae restituant. Ad haec, pro nepote nostro Metensi Episcopo, & fratribus ejus gratias tuae benignitati referimus, quoniam in iis primitiis bonitatis tuae cognovimus. Illa enim bonae voluntatis pax esse conspicitur, ex qua bonae voluntatis opera demonstrantur. Fratres enim Episcopi, Cardinales, & totus Romanus Clerus una nobiscum te, & Principes, & Barones tuos salutant, divinae majestatis misericordiam deprecantes, ut vos ad honorem suum, & Ecclesiae suae in longum custodiat.

Data Laterani, Idibus Decembris.

Sequitur restitutio investiturarum ab Henrico Imperat. facta.

Data die 13.  
Decembr.

**I**n nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & Sanctae Romanae Ecclesiae, & Domini Papae Callisti, & pro remedio animae meae, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apostolis Petro, & Paulo, & Sanctae Catholicae Ecclesiae omnem investituram per anulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem: possessiones, & regalia Beati Petri, quae a principio hujus discordiae usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quae habeo, eidem Sanctae Romanae Ecclesiae restituo; quae autem non habeo, ut restituantur fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quam laicorum, consilio Principum, & justitia, quas habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem D. Papae Callisto, S. R. Ecclesiae, & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi justitiam faciam.

Henrici Imperatoris restitutio investiturarum omnium.

HONORIVS SECVNDVS.

Subscriptio-  
nes Præsi-  
dium.

Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus.  
Fridericus Colonienfis Archiepiscopus.  
Ratisponensis Episcopus.  
Otho Bambergensis Episcopus.  
Bruno Spirensis Episcopus.  
A. Augustensis Episcopus.  
G. Trajectensis Episcopus.  
V. Constantiensis Episcopus.  
E. Abbas Fuldenfis.  
Northmannus Dux.  
Fridericus Dux.  
Bonifacius Marchio.  
Theobaldus Marchio.  
Cynulphus Comes Palatinus.  
Obertus Comes Palatinus.  
A. Berengarius Comes.  
Godefridus Comes.  
Ego Fridericus Colonienfis Episc. & Cancellarius re-  
cognovi.

Subsequitur Calisti Papa II. restitutio regaliorum  
Henrico Imperatori facta.

Calisti Papa  
II. restitutio  
regaliorum.

Ego Calistus Servus Servorum Dei, dilecto filio suo  
Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augu-  
sto, concedo electiones Episcoporum, & Abbatum Theu-  
tonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua  
fieri, absque simonia, & aliqua violentia, ut si qua inter  
partes discordia emerferit, Metropolitanis, & Provincia-  
lium consilio, vel iudicio, saniori parti assensum, & auxi-  
lium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te  
recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam  
pertinere noscuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat.  
Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex  
menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus vero  
mihî querimoniam feceris, & auxilium postulaveris, se-  
cundum officii mei debitum, auxilium meum præbebo.  
Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt,  
vel fuerunt tempore hujus discordiæ.

Dat. P. A. 4.  
die 23. Sept.

Data Anno 1122. nono Kalendas Octobris.

HONORIUS SECUNDUS PONT. CLXV.  
ANNO DOMINI MCXXIV.



Honorius II. patria Bononiensis. Labertus de Fagna-  
nis antea dictus, Archidiaconus Ecclesiæ Bono-  
niensis, deinde Episcopus, Cardinalis Ostiensis. Creatus  
21. Decembris 1124. Consecratus, & coronatus apud  
Sanctum Petrum duodecimo Kal. Januarii, Anno Domini  
1124. Vixit annos... Creavit Cardinales 29. Obiit ann.

Domini 1130. 14. Kal. Martii, & in Basilica Lateranensi  
sepultus fuit. Vacavit Sedes diem 1.

Eodem die creatus fuit Theobaldus Buccapeus, Pres-  
byter Card. tit. S. Anastasiæ, qui appellatus est Cælesti-  
nus II. Eodem die, quo creatus fuit, abdicavit.

Damnatio pravarum consuetudinuar Regni Bri-  
tanniæ, circa direptionem bonorum naufraga-  
ntium, ac rerum mobilium à maritis, & uxori-  
bus decedentibus relictorum.

Quoad bona naufragantium Christianorum, publi-  
catur annis singulis Bulla Cælesti, ut notabo  
ad Bullam 53. Pauli P. Pastorale, inf. tom. 3.

HONORIUS EPISCOPIVS, SERVVS  
Servorum Dei. Venerabilibus fratribus Turonensis Me-  
tropolis suffraganeis Episcopis, Salutem & Apostolicam  
benedictionem.

Edita An. D  
1130.



HARISIMUS frater noster Hilde-  
bertus Turonensis Episcopus, sicut  
bonus Pastor pro grege suo vigilans,  
evocatis fratribus sapientibus & aliis  
religiosis viris, quemadmodum ex  
suarum litterarum inspectione co-  
gnovimus, in Nanne Vtensi Civitate,  
de more Metropolitico, Concilium  
celebravit. Ibiq; de incestis nuptiis, & de spuris Sa-  
cerdotum filiis, & de his qui quasi hæreditaria succe-  
sione Ecclesiastica petebant beneficia, & de aliis dili-  
genter pertractans, corrigenda correxit, & statuenda  
constituit. Universitati ergo vestræ mandamus, quatenus  
ea quæ ab ipso, juxta Sanctorum Patrum decreta, ibi ad  
honorem Domini, & salutem populi statuta esse nos-  
cuntur, irrefragabiliter observetis. Sicut enim in hu-  
mani compage corporis, membra famulantur, & obe-  
diunt capiti tanquam supremo & provisorio, ut sic per-  
sona servetur incolumis; ita fidelium mentes unius ef-  
fectæ voluntatis, pro custodienda unitate Fidei, & Statu  
Ecclesiæ, suis debent humiliter parere Prælati.

Episcopus  
Turonensis  
provinciale  
Concilium  
egit, quod ipse  
Pentis obser-  
vari man-  
dat.

§. 1. Ad hæc, pravas illas consuetudines à Comite  
Britanniæ charissimo, in manu præfati Archiepiscopi in  
conspetu Synodi refutatas, quarum una fuit quod ma-  
ritis vel uxoribus decedentibus, bona eorum mobilia à  
potestate sæculari diripiebantur. Altera qua illis, qui  
naufragium evaserant, etiam quæ in portu postmodum  
inventæ erant, auferantur, damnamus, & nequis eas  
futuris temporibus renovare præsumat, auctoritate Apo-  
stolica interdicens. Iniquum enim censemus esse, ut  
quem divinæ clementiæ magnitudo à sævientis pelagi  
voracitate exemit, hominum læva rapacitas audeat spo-  
liare.

Damnata etiam  
prava Bri-  
tanniæ con-  
suetudines  
de quibus in  
rubr.

§. 2. Piorum namque Imperatorum emanavit auctori-  
tas, ut etiam rerum, quæ in tempestate maris, levandæ  
navis causa ejiciuntur, non amittatur dominium. Non  
enim eas aliquis eo animo abjicit, quod habere nolit,  
sed quod periculum effugere possit. Et qui res ipsas lu-  
crandi animo abstulerit, furtum committit.

Approbatque  
leges Impe-  
ratorias, cir-  
ca bona  
naufr.  
Has leges ef-  
fecto l. i. &  
l. qui levad.  
ff. ad l. Rhod.  
de Inc. & l.  
i. & l. ne  
quid ff. de  
incend.  
D. An. 5.  
die 20. Maii.

Dat. Lateran. 13. Kalendas Junii.

INNO